Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1999

Quelle:
Copyright:

iudeorum quoque et christianorum doctrinam &c. Verum multis ultro citroque agitatis exoptare se nunc *Petri* arbitrium, de quo inter alia: *Quod uero ingenii tui sit acumen. quantum philosophicis et diuinis sententiis memorię tuę thesaurus abundet — certum se nobis prebuit experimentum opus illud mirabile* theologię. *quod nec inuidia ferre potuit. nec auferre preualuit. sed gloriosius persequendo effecit.* Intelligi hic puto *Abaelardi Introductionem ad Theologiam* sive *de Fide S. Trinitatis Libros III.* edit. *Paris. suprac.* p. 973. propter quam plurima perpessus est, ut ex propriis ejus Epistolis *ibid.* aliisque autoribus, qui in *Baelii Diction.* in *Hist. liter. Franciae.* T. IX. in *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. XV. citantur, liquet. Annuente porro arbitrium *Petro* Philosophus primum cum Judaeo, dein cum Christiano *de summo Bono*, *Malo*que confligit, et post primum quidem certamen, quo Judaeus succumbit, *Petrus* sententiam rogatus inducias usque ad alterius disputationis finem petit et a partibus obtinet; haec vero disputatio in his Christiani verbis terminatur: *Quod quia ex inquisitione summi boni pendebat. si quid superest quod de ipso ulterius queri censeas. licet te subinferre uel ad reliqua festinare*, ut adeo aut *Petrus* nimium mature evigilaverit, aut extrema totius *Dialogi* desint, quod sane dolendum, Christiano promerita Victoriae adclamatione fraudato. Interim in *Codice* eodem versu

II. *fol.* 59. p. 2. sequitur: *Exortatio* (vox rescripta super aliam miniatam erasam) *magistri ad discipulum de inquisitione summi boni.* Incipit: *Fili karissime studium tuum delectat me quo sapientum scripta inuestigas per te ipsum legendo* &c. Post verbosam de ignavis Discipulis querelam haec legas: *Occasio vero huiusce inquisicionis exinde ut dicis oborta est tibi quod legens dyalogum sub disceptacione christiani et iudei atque philosophi a magistro petro digestum de summo bono illic inueneris aliquid inuestigatum sed non satis elucidatum quid sit uel ubi sit ipsum summum bonum quaue ad illud uia sit rectissime gradiendum* &c. Videtur tota haec Exhortatio obliqua Crisis in *Abaelardi* praecedentem *Dialogum*, et Discipuli praemunitio; postquam enim ex *Augustini* Opusculo *de Summo Bono* multa opportuna adducta fuissent, subdit Magister ἀνώνυμος, tales audiendos, *qui non a philosophis aut iudeis christum ignorantibus aut reprobantibus sed ab ipso christo veritatis doctrinam acceperunt. Ipsum audite, ait pater celestis. Ipsum audite, aio et ego uobis quicunque me auditis discipuli seu filii. Ipsum audite potius quam paganum philosophantem uel ebreum iudaizantem* &c. et deinceps multis Scripturae locis apte usus concludit: *Ergo ipsum audite, sitque uobis anathema quicunque aliud*